Carmina Copernicana – Copernicus in der neulateinischen und neualtgriechischen Dichtung

World Copernican Congress: Cultural Studies Section

Irina Tautschnig

Toruń, 13th September 2023

Cum me nuper, mi Capellane suavissime, inviseres, incidisti casu in folium, quod e praelo ad me allatum, comiterque manu praereptum, dum occoepisses legere, occurrere versus, quos Tycho, acceptis Copernici regulis, quodam veluti enthusiasmo fudit. Iis cum arrisisses, quaesiisti ex me, an non occasio intercurrisset, qua Tychonis vitam pertexens, ipsius Copernici vitam synopsi quadam intexerem; scilicet, cum illius nomen celebre adeo evaserit, quis tamen, aut qualis vir fuerit, longe lateque ignorari.

Pierre Gassendi, *Nicolai Copernici vita*, Paris 1654, p. 3

Argumenta tum ab Aſtronomia tum à Philoſophia Naturali deducta ad evertendum Telluris Motum ſunt invalida.

URania, ætherei ſemper bene conſcia Mundi,
Sideribus quæ cincta caput, per ſidera celſo
Incedis greſſu, noſtræque impervia menti.
Ore vides, animóque notas, digníſque recludis,
In carmen te, Muſa voco: tibi terra Políque,
Diva, patent; nos parca vetat Natura vel iſtam,
Quam calcamus, humum fragili pernoſcere ſenſu.
Maxima Philoſophos inter gentémque togatam
(Poſt *Danum*) tibi cura fuit *Copernicus* Heros;
Quíque inter Vates tibi charus habebitur, ille
Proxima; ſeu terram calcat, ſeu ad ſidera ſurgit.
Currite jam placido, mea carmina, currite lapſu,
Quo pede, terra ſolet, motúque imitante quietem,
Tam nullo penè & ratio quem ſola ſequatur.
Credite, Mortales, in cœlo Terra movetur:
Illa ſolet *Phœbo* & reliquis occurrere ſtellis,
Solem oriente die, ſolem cedente procatur,
Totâ nocte vigil nec amor dat lumina ſomno:
Ille manet medio, radióſque per omnia ſpargit
Par Naturæ Oculus, rerumque immobile Centrum.
Rident Aſtronomi, barbatáque turba Sophorum,
Queis Natura parens animos faſtúmque creavit;
Atque ipſum potiùs ferri vertigine Vatem
Exclamant, motúmque ſoli noſtrum eſſe furorem.
Nobis Alma Parens & cui dat nomina cœlum,
Muſa, dedit verum (falſo licet undique riſu
Excipitur) mundo ferre & ratione probare.
Aptior eſt longè Tellus leviórque moveri
Orbibus immenſis Cœli; & cùm Terra minor ſit,
Tam parvæ minor eſſe ſolet violentia molis.
At, veluti cymbâ, pueri qui flumina tranant,
Jam ripas urbéſque procul diſcedere clamant,
Dum ripis fixíſque abſcedunt urbibus ipſi:
Sic vulgus (puerile genus) puerilia mentis
Errata indociles Arte abjectare magiſtrâ,
Cùm videant variare polos, inopináque mundo
Sidera monſtrari (Terrâ labente per auras)
Volventes orbes immenſáque pondera cœli
Immotáſque Deûm ſedes gyrantia circùm
Abripier fingunt mentem exuperante volatu.

ERGO,

Multa licèt Cœli Naturáque magiſtri
Arguerint, motúmque ſoli defigere rurſus
Certârint; nunquam legi contrarius orbis
Motus erit Terræ: Ratio cùm numinis olim
Tellurem môrit, ratio hanc ſit noſtra moveri.

Corruptio & diſſolutio mundi non poteſt inferri ex principiis Phyſicis.

NEc ſatis eſt dixiſſe Deum, decretáque cœli
Cognoviſſe homines; ipſi nova ſomnia fingũt,
Evacuátque fidem ratio: quàm dulce putatur
Scire, & magnarum cauſas inquirere rerum!
Hinc aliquis veri ſtudio flagrantior æquo,
Et cui ſpem fecit vis vivida mentis inanem,
Mortales quanquam fugiant cœleſtia ſenſus,
Tentat inacceſſam lucem, & ratione moleſtâ
Invia ſecreti vexat penetralia mundi:
Monſtrat ut ipſe tener mundi concreverit orbis
Ex nihilo, utque olim longi poſt tædia motûs
Collapſura in ſe tantæ ſit machina molis:
Cùm tamen interea mortis non ulla futuræ
Signa videt, ſervátque ſuum ſincera tenorem
Semper, & æternâ fruitur Natura juventâ.
Attende, & faciles oculos circum omnia verſa;
Num quid in oceano, terrâ, cœlóve minatur
Interitum cunctis, & fata inſtantia rebus?
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus,
Sol indefeſſis orbem colluſtrat habenis;
Sed nec Luna minùs nocturnam pallida pompam
Ducit, & amiſſi ſolatur damna diei.
Præſcriptas elementa horrent tranſcendere leges,
Nec timor eſt unquam rupto ne fœdere pugnent,
Civilíve ruant dextrâ; nova bella perenni
Corpora pace gerunt, coëunt æterna caducis,
Inque vices mors, vita fluunt; genuiſſe periſſe eſt,
Et periiſſe ſalus: fraternâ pace ligatur,
Et conſtat natura ſibi; num laſſa reſedit,
Aut unquam ſolitas eſt viſa remittere vires?
Illam non ſeræ labefecerit ulla ſenectæ,
Non fati vis ulla; Deus, Deus ipſe Creator,
Cùm volet, unius ſolenni fulmine vocis
Has evertet opes, ſternétque à culmine molem.

Jul. 2. 1678. In die *Comit.* Reſpond. in Philoſ. *Henr. Nicholl*, A. M. *Coll. Eman. Soc.*

An terra moveatur?

Stare, quid addubitas, cœlum, terramq; moveri;
Si terrena ruunt, cœlica regna manent?

In Albo Amici cujusdam.

Inſcribas cordi, quem vis inſcribier Albo;
Quàm libro, memori pectore malo geri.

In Albo alterius Amici.

Tradis, ut inſcribam, Chartam; ſit charta meum Cor;
Hoc iterùm trado, dum tibi reddo librum.
Chartam Album dicis; Cor dices rectiùs Album,
Cùm careat maculis, qvas tua Charta gerit.

In Phyllida.

Fles, quoties verbis in me teſtaris amorem;
Neſcio, ſic flenti num ſit habenda fides?
Nam flendo ridere ſoles, ridendoq; flere;
Sunt lacrymæ Nilus, cuî Crocodilus ineſt.

De Elephante, Anno 1638. in Boruſſiâ primum conſpecto.

Japponicis ad nos Elephas devenit ab oris,
Vix priùs in noſtris bellua viſa plagis:
Bellua; ſed mites mores edocta, viciſſim
Exemplo vult nos erudiiſſe ſuo.
Quippè ſui ad nutum ductoris vivere gaudet;
Sed cupit ad nutum vivere nemo Dei.

C 2 De





CAMILLI GARULLI
HYPOTHESIS COPERNICANA
COMETÆ
ET
ELEGIARUM MONOBIBLOS
AD
DOMINICUM SPINUCCIUM
EPISCOPUM MACERATENSEM
ET TOLENTINATEM

ROMÆ
EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI
AN. cIↄ . Iↄ . cc . LXXVII.
Præſidum Facultate.

Tuque, o, se tollit quo clara Polonia alumno,
ingenii dum docta tui monumenta recludens
extendis partum venturos nomen in annos,
huc ades, o, facilisque volensque, Copernice, notas
astrorumque vias et caeli moenia pande,
carmine dum meditor, mentem dulcedine captus
nescio qua praeter solitum, inlustrare Latino,
quae superas edis comperta in luminis auras.
Te sine nil magnum mens excudet. [...]

Camillo Garulli, *Hypothesis Copericana*, Rom 1777, p. 16



Jacob Balde, *Poema de vanitate mundi,* München 1638



Sunt, quorum non displicuit sententia nobis,
atque aliquis nostra de gente Copernicus olim
haec magis excutiet, pigrae qui pondera terrae
dicere non audent mundi requiescere centro,
sed dicunt, agitata velut sentina biremi
iam proram exundans madido circumfluit imbre,
iam puppim rediens foetenti aspergine tingit,
sic terrae globus aequoreis ceu navis in undis
aetheria regione natat, sentinaque ponti
adfluit et refluit surgitque caditque vicissim,
litora quae damnat repetit, quae diligit odit.

Virgilius Gleissenberg, *Boleslais*, Regensburg 1722, fol. I3^{v}–4^{r}

IN TURRIM,
QUAM
COPERNICUS

Incolatu ſuo, & Opere Revolutionum ibi confecto illuſtrem reddidit,

JOANNIS BROSCII CURZELOVIENSIS

EPIGRAMMA.

EXtollant alios ſtatuæ, vaniq; Coloſſi,
Buſtaq; magnificis condita Marmoribus:
Pyramidesq; alios, quæſiti forma decoris,
Quicquid & humanus fecit inane color.
Hanc Turrim grandis Mens illa COPERNICUS
Surrigit Iſtulco Varmia in ore tuo. (altè
Erronũ & Terræ hinc ſecreta volumina cernit,
Hinc Solem immotum & ſidera Fixa notat,
Ergo illum Superi mirati deſuper, iſtinc
Ingenium ut pulchri diſpicit omne poli.
Turris ea eſto (ajunt) inter miracula Mundi,
Cui neq; conſimilem barbara Memphis habet.

ἐκκλησιαστὴς γ. ς. ιά.	Eccleſiaſtes c. 3. ℣. 11.
καί γε σὺν τὸν αἰῶνα ἔδωκεν ἐν καρδίᾳ αὐτῶν.	Et Mundum tradidit diſputationi eorum.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

Cyclo Lunæ .4. Solis .3. Indictione .1.

IN PTOLEMÆVM ET COpernicum duo naturæ miracula,

IOANNIS BROSCII CVRZELOVIſis Epigramma,

Frueburgo loco obſeruationum Copernici conſecratum.

Nile tuum iactas Ptolemæum, noſq; fatemur
Ornamenta tibi hunc magna dediſſe virum.
Nam tua Syntaxim conſtruxit ad oſtia magnam
Cœleſtes numeris expoſuitq; vias.
Laude Copernici qui Viſtulæ ad oſtia terram
Mouit, adæquat ſe Viſtula Nile tibi.
Sume paris ſocium laudis, quid Nile recuſas
Si, quò te iactas, iam Ptolemæus habet?

Aliud eiuſdem argumenti.

Nile quid ob Dium Ptolemæum deſpicis omnes
Terra patens fluuios quòt modo cunq; gerit?
Nam mea cœleſtis Ptolemæus ad oſtia (dicis)
Magnæ Syntaxis grande parauit opus.
Aſt ô Nile tuæ compar iam laudis habetur
Iſtula, quæ ſeptem fuſa trione fluit.
Huius enim ad riuum mens illa, Copernicus, alta
Immotam ad numerum currere fecit humum.
Quod ſi te nomen Ptolemæi detinet: iſtum
Si bene peruideas, fors Ptolemæus erit.

Coper-

NICOLAVS COPERNICVS
Mathematicus.
Quid tum? ſi mihi terra mouetur Solq; qui eſcit,
Ac cœlum: conſtat calculus inde meus.
M. D. XLI.




NICOLAI·CO
PERNICI·VE
RA·EFFIGIES
EX·IPSIVS
AVTOGRA
PHO·DEPI
CTA